

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Piam Ac Religiosam Paschae Celebrationem A. MDCCLVIII.
Fridericianae Prorektor Ioannes Fridericvs Stiebritz
Philosophiae Oeconomiae Politicae Ac ...**

Stiebritz, Johann Friedrich

Halae, MDCCLVIII.

VD18 13087959

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-192383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-192383)





181 D. 4

PIAM AC RELIGIOSAM
PASCHAE
CELEBRATIONEM
A. MDCCCLVIII.

FRIDERICIANAE PRORECTOR
IOANNES FRIDERICVS
STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE OECONOMIAE POLITICAE AC CAMERA-
LIVM PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS REGIO-
RVM ALVMNORVM EPHORVS

VNA CVM

DIRECTORE
AC
RELIQVO SENATV ACADEMICO
COMMENDAT CIVIBVS
PROPOSITA DISPVATIONE
DE
IVSTIFICATIONE CHRISTI.

HALAE, IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLVIII.

PIAM A C E L I G I O S A T

P A S S I M

C E L E S T I A L I O N E

A C C I D I T

T U R N I C A N T E P R O T O T O R

I O A N N E S F R I D R I C H S

P E T R I

T H I N K I N G A T P O R T I N T A C C A M E R A

I N T H I S P A R T I C U L A R P E R I O D

H A S T H E R E F O R M

W A T

D I R E C T O R E

A C

P E R I O D S P E C I A L I T A T I O N

C O M M E N T A R I U S

M O R A L P E R I O D I C

E

I N T E R P R E T A T I O N E

W A T

H A L L E I N S T I T U T I O N

M O C C I N




Ipsum Iesum Christum Dominum gloriae dici *iustificatum* in sacris Veteris & Noui Testamenti tabulis, inusitatum non est. Cum itaque omnia inter Deum & Christum tanquam mutuae inter Deum & homines gratiae conciliatorem acta maximi omnino sint momenti, ac proinde etiam consideratione mortalium ad quos pertinent dignissima; constitutum nobis, est dignam temporis paschalis celebrationem, ad expendendum proposita Christi iustificatione vobis, *Ciues optimi*, pro virili commendare. Quod ne alienum a temporis ratione aut longius peti- tum videatur consilium, in antecessum obseruari oportet, argumentum quod tractandum sumus cum restitutione Christi in vitam, quam vniuersa ecclesia iam celebrat, arctissime esse coniunctum. Nolumus vero iam in ipso orationis principio aliquid eorum praelibare, quorum rationem ex ipsa rei tractatione luculentissime apparituram, esse plane confidimus.

Quo vero via & ordine progrediatur oratio nostra, tribus maxi- me rebus a nobis in praesenti hac de re dicenda definiemus. *Primo* qua in re ponatur ipsius Christi iustificatio docebimus. *Deinde* quomo- do per restitutionem in vitam maxime demonstrata sit explicabimus. *Denique* ostendemus qua ratione haec omnia ad vniuersi humani generis salutem, fidelium maxime pertineant.

A 2

Primo



Primo itaque loco, qua in re ponatur ipsa Christi iustificatio, doceri atque obseruari oportet. Ad hanc vero primariam orationis partem eo distinctius explicandam 1) locos nonnullos insigniores, quibus Dominus ipse iustificatus dicitur, laudare ac ponere iuuabit. 2) Quanam in re ipsa illa, de qua nobis sermo est, iustificatio ponatur, videbimus. 3) Quo tempore facta sit censenda inquiremus. 4) Quanam ex illa appellatio Christi singularis in sacris usitata, maxime repetenda sit, ostendemus.

1) Itaque consultum omnino erit, in medium proferendis locis nonnullis insignioribus de iustificatione Christi, prima quasi disputationis nostrae fundamenta iacere. Erimus vero contenti duobus, altero ex Veteris, altero ex Noui Testamenti publicis tabulis translato. Ex V. T. illustris maxime est vox Iesae c. L. 8. ubi ipse Dominus per Spiritus prophetici praefensionem ac praedictionem hoc pacto loquens inducitur: *Propinquus est iustificans me; quis experietur mecum; confissemus una; quis Dominus iudicii mei, (i. e. actor aut accusator,) accedat ad me. Ecce Dominus Iehoua adest mihi, quis condemnabit me?* In hac oratione *iustificare* & *condemnare* aperte tamquam contraria ponuntur, ut alterum ex altero tanto melius intelligi ac declarari possit. Ad Christum vero totam huius capitis orationem pertinere in praesenti eo minus a nobis demonstrari opus est, quo minus obscuritatis aut difficultatis res illa hoc quidem in loco habet, & quo certius illud iam atque euidentius ab optimis quibusque interpretibus ostensum est. Succedat ergo huic alter ex N. Testamento locus pariter insignis & ad probandum quod instituimus plane sufficiens. Est vero ille notissima vox Paulina 1 Tim. III. *confessione magnum quid est pietatis mysterium; Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in Spiritu.* Nam haec quoque verba ad Christum vnice pertinere, tam certum atque euidentius est, ut plane audiri nedum multis verbis refutari mereantur ineptae illorum & contra clarissimam veritatis lucem pugnantes calumniae & cauillationes, qui remoturi luculentissimum, quod peruerlis ipsorum opinionibus obstat, effatum, etiam hic extrema quaeuis experiri religioni sibi non duxerunt.

2) Progredimur itaque sine mora ad alterum, explicaturi scilicet causam ipsam, de qua disputamus. quaeritur ergo, quid sibi ipsa Domini iustificatio velit tam clare testata atque adserta; id quod statim disceptabimus, si modo antea de vocabulo *iustificare*, quod Ebraicum *פָּדַת* & Graec.



Graecum *δικαιω* exprimit, aliquid monuerimus: accipiuntur scilicet haec vocabula generatim in sacris litteris in sententiam vt appellant forensem, ac proinde non internam aliquam illius, in quo ponuntur mutationem sed potius iudicium ac sententiam aliorum de illo eiusque declarationem significant. Non defuerunt quidem, qui vt concederent rem quidem plerumque ita se habere, exceptionem tamen in nonnullis saltem N.T. locis faciendam esse sibi persuaferunt, inducunt in primis 1 Cor. VI. Iac. II. Apocal. XXII. Verum ne his quidem in locis, qui ceteroqui non omni specie carent, necessarium putamus ab usitata vocabuli *δικαιω* potestate recedere, quippe quae eo pacto retineri ac defendi potest, vt tamen sententia illorum sibi optime constet. Verum argumentum hoc pluribus hic disputari non est opus. Sufficit nobis in praesenti id pro indubitato adfirmare, vocabula illa in Christo posita in sententiam forensem plane accipienda esse. In priori loco prophetico scilicet, contrarium vocabulum *condemnare*, atque iudicii alicuius forma apertissime descripta atque expressa totam rem in clarissima luce collocant: alter locus, apostolicus scilicet, non plus dubitationis habet aut habere potest apud aequos ac prudentes rerum existimatores. Accedimus itaque iam ad ipsius iustificationis explicationem, quae tum plana ac facilis erit, si constituerimus, quid iustificatio aliqua forensis per ipsam rei naturam necessario ponat. Cum scilicet iustificare, si in foro res agatur, generatim nemine dissidente, idem sit atque absolvere, siue liberare iudicio, liberatumque aliquem declarare ac pronunciare, per se consequitur, reum antea fuisse habitum ac peractum in iudicio, cui iam illo liberari contigit; idem ergo in Christo locum habuisse necesse est. Id quod etiam cum operis ab ipso peracti ratio, tum luculentissima atque innumerabilia sacrarum litterarum effata plane confirmant. Cum enim totus mundus reus iudicioque Dei ac poenae propter peccatum obnoxius esset, aliter fieri per iustitiam Dei ulticem nec potuit nec debuit, quam vt vel ipsum genus humanum, vel alius rei tantae per meritas poenas iudice consentiente ac probante solueret. Quas partes cum ipse Filius Dei sibi delatas in se suscepisset, substitutus in mundi locum est in iudicio diuino, collata scilicet in illum & culpa vniuersa & poena; ita vt plane reus haberetur ac iudicaretur a Deo, tamquam fideiussor, vel potius, ut rectius & accuratius res exprimitur, tamquam *expromissor* in iudicio a Deo pro nobis acceptus; vterque enim est quidem sponsor, diuersa tamen ratione. fideiussor enim dicitur, qui pro debitore aliquo
ita



ita spondet, ut fidem suam interponat, promittens, se pro illo ad dictam diem soluturum esse, ea conditione, si debitor creditori non satisfaciat, aut pro exhausto sit habendus; interea debitor ad soluendum obligatus est. at vero in hoc negotio res longe aliter comparata est; nec enim Dominus sub conditione aliqua pro nobis spondit, se tum soluturum, si nos soluendo non essemus; certum enim est, neminem aut habere aut ullo modo comparare posse quod soluat. postquam Christus semel se nostro loco pro debitore in iudicio diuino obligauit, ut de suo solueret, nos non amplius obstringimur ad soluendum scilicet de nostro, sed tantum ad accipiendum transferendumque ad nos per fidem, quod Christus de suo pro nobis soluit. Expromissoris igitur partes suscepit Christus. expromissor enim nominatur, qui pro altero tamquam debitore omnino ac simpliciter spondet, recipiens in se omnem illius culpam atque obligationem; quo pacto debitor sine mora liberatus dimittitur. Hoc caput rei est, quod ad naturam expromissionis necessario pertinet. Res circumstantes & aduentitiae, quae in foris humanis ad expromissionem requiruntur, non item in foro diuino attenduntur.

Reum autem ita factum esse Dominum pro nobis, culpa ac poena in iudicio diuino in illum collata, tot clarissimis sacrarum litterarum efatis testatissimum est. Sufficiat in praesenti modo aliqua laudare. Sic Paulus 2 Cor. V. scribit: *Deus omnis peccati plane expertem pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus iustitia Dei.* Duo enim his verbis apertissime significantur, Dominum primo per se omni culpa ac crimine plane caruisse, deinde vero culpam ac crimen tamen in illum, & quidem ab ipso iudice Deo, collatum esse; quorum vero illa sit culpa, non minus clare ac diserte docet, dum adiicit, *pro nobis siue loco nostro.* Magnam vero vim habet, quod Apostolus Christum *peccatum* pro nobis factum esse adfirmat; eo enim significatur veritas imputationis alienae culpa ac poenae, ut re vera habitus sit tamquam reus, omniaque pertulerit, quae homines perferre ac luere debuissent. Subiiciamus alterum locum Galat. III. ubi Apostolus, *Christus liberauit nos, inquit, a maledictione legis, dum factus est maledictio pro nobis.* Ex his enim verbis rursus duo clarissime conficiuntur; primum, legis maledictionem, omnibus omnino mortalibus, quia nec perfecte seruauerint, nec seruare possint, incumbere; alterum, Christum vniuersum humanum genus ab illa & quidem eo pacto liberasse, ut ipse loco nostro maledictio facta sit; quae sane verba aliam sententiam habere non possunt, quam Christum se maledictionem nostro

stro



stro loco haberi passum esse, poenasque legi debitas omnino dedisse; notabilis etiam & per contrarium rem hanc illustrans locus est Ebr. VIII. ubi Apostolus ait, *Christum primo apparuisse in fine seculorum ad auferenda peccata, iterum vero appariturum sine peccato ad salutem eorum, qui illum expectent.* Dum enim Apostolus adfirmat, Christum olim appariturum *sine peccato*, id simul innuit, in priori aduentu apparuisse non liberum a peccato sed cum illo; fuerat enim tum *agnus Dei ferens peccata mundi.*

Verum haec nondum plane conficiunt partes Christi tamquam mediatoris, quas pro nobis in iudicio diuino suscepit implendas. non solum enim reus pro nobis factus est, ad luenda crimina nostra, verum etiam ad perfectam legis impletionem se pro nobis obligauit, ac proinde ad praestandam perfectam etiam obedientiam ac iustitiam in faciendo. nostrum enim erat, non solum non peccare, sed etiam recte faciendo nos Deo probare. Sponsoris erga erat, hac quoque in re vice nostra fungi, quo nos per & propter illum perfecte iusti in iudicio diuino haberi, omniaque illa bona adipisci possemus, quae Deus legem perfecte seruantibus primo suo consilio destinauerat. Poterat vero Dominus hac quoque in re causam nostram agere, & nostro, quod modo diximus, loco praestare, quoniam ipse etiam qua homo lege Dei non tenebatur propter vinculum vtriusque naturae personale; quo effectum est, ut omnia iura ac privilegia diuinae naturae per essentiae rationem propria, ac proinde etiam immunitas a subiectione sub legem, humanae quoque naturae fierent, ut illis vere gauderet atque uti posset. Libere ergo & pro summa sua in se ipsum potestate lege se obligauit & obligari passus est. quo ipso effectum est, ut obedientia, quam ipse pro se non debebat, legi praestita, pro nobis valere potuerit, qui debebamus at praestandae minime pares eramus. Expositis itaque quasi debitis & obligatione Domini pro nobis suscepta, facile iam erit ad intelligendum, qua in re illius iustificatio ponatur. Ponitur scilicet primo in eo, quod Christus poena peccati & quidem perfecte perlata ac per soluta, liber ab omni culpa ac poena, ab ipso Deo tamquam iudice summo habitus atque existimatus est, & quidem iustitia Dei illud ita exigente. Sicuti enim iustitia Dei illud ita ferebat, ut sponsori non parceret, sed crimina nostra in ipsum collata, ipsi re vera imputaret atque in illo etiam vindicaret; ita non minus ad iustitiam illius pertinebat, liberum eum ab omni culpa ac poena & in praeteritum & in futurum

turum



turum iudicare, postquam omnia perfecte praestiterat, quae hac ex parte praestanda erant. Deinde illud quoque iustificatione Christi comprehenditur, quod Dominus impleta quoque perfecte lege, iudicatus quoque est a Deo ex vero is, qui perfectam hac quoque ex parte obedientiam praestiterit. iudicium enim Dei semper cum rebus exactissime conuenit, ac non solum nihil falsi atque a natura rerum discrepans continet, verum etiam rebus plane par est, ac proinde omnia perfectissime complectitur quae in re insunt.

3) Ex his quoque iam facile confici potest, quo tempore illa Christi iustificatio, nostro intelligendi modo & quatenus naturae ordinem in iudiciis ac decretis diuinis, quae alioqui in ipso Deo simul sunt ac fuerunt, spectari oportet, facta esse sit dicenda. discere scilicet id iam possumus cum ex principiis, quae supra iam a nobis posita & confirmata sunt, tum ex perspicuis sacrarum literarum testimoniis. Quod ad priorem temporis definiendi modum attinet, tum scilicet iustificationem Christi in iudicio diuino factam dici oportet, cum omnia & perpetiendo & faciendo perfecte praestiterat, quae Deo praestanda in se susceperat; iam vero morte in cruce oppetita omnia consummata erant, quae & perpeti & facere eum oportebat cum ad expianda crimina nostra placandamque iram diuinam, tum ad perfectae iustitiae nobis comparandae, reliquas partes explendas. In ipso itaque mortis puncto iustificatio illa Christi facta est intelligenda, quae enim mortem consecuta sunt varia, in ipso Christo & extra illum, partim ad veritatem mortis probandam, partim ad virtutem illius atque efficaciam demonstrandam, partim denique ad ipsam liberationem Christi a iudicio diuino haud obscure indicandam pertinebant. Quod vero ex positis recte conficitur, illud ipsum quoque euidentissima sacrarum literarum testimonia abunde confirmant. probant scilicet omnes illi loci, quibus morte, sanguine Christi in cruce fuso dicimur Deo conciliati, Deusque nobis placatus adfirmatur; quibus pax inter Deum hominesque in cruce dicitur facta. Nec enim prius conciliatio facta concipi potest, quam praestitis illis omnibus, quae iustitia exigebat, nec tamen diutius etiam dilata cogitari, postquam praestita erant. apprime etiam verba Iesae huc faciunt c. LIII. ubi propheta de Christo agens, *ex angustia*, inquit, *ac iudicio ereptus est, generationem illius quis meditabitur?* Meminit enim ereptionis ex iudicio diuino, qua nihil aliud commodius quam liberatio a iudicio diuino, siue absolutio illius intelligi pot-

pot-

potest: hanc vero liberationem coniungit cum liberatione ex angustiis doloribusque corporis atque animi; quo ipso haud obscure indicat, duas has res finem scilicet dolorum & cruciatuum, atque absolutionem Messiae in iudicio Dei, in vnum quasi temporis punctum incidere. confirmantur vero etiam de tempore dicta iis, quae mortem Domini insecuta sunt. Anima enim Domini soluta corpore sine omni dubitatione, libera fuit omni dolore, metu, aliisque malis omnibus animum adfligentibus; contra vero in statum plane felicem ac beatum pervenit, in quo iucundissimum gaudii futurae vitae sensum habuit. Id quod translatio illius in paradysum, commendatio in manus Dei, aliaque plura alibi iam exposita ac probata satis condocent; ita ut plane audiendi non sint, qui & olim & recentiori atque etiam nostra aetate aliter senserunt, sibi & aliis persuadere instituerunt, animam Domini iam solutam, doloribus adhuc fuisse adfectam. status itaque animi felix ac beatus statim ab excessu ex corpore incipiendus, plane probat, Dominum tum in iudicio diuino absolutum fuisse, illudque etiam ipso indulgentiae diuinae singulari sensu plane exploratum habuisse. quae corpori exanimi acciderunt post obitum, pariter ita sunt comparata, ut nobis indicia factae absolutionis suppeditent. Cavit enim diuina providentia, ipsos etiam hostes nutu suo regens, ne aut fractis cruribus aut alia ratione male haberetur; & licet latus hasta sit perfossus, ea tamen res longe alias causas habuit, pluribus hoc loco non commemorandas. Contra vero, Deo prospicientefactum est, ut corpus exanime post mortem hostium manibus ereptum in amicorum amatorumque manus perveniret, & admodum honorifice habitum terrae mandaretur. Quae etiam naturae factae sunt graues commotiones, eo debebant inseruire, ut ipsi spectatores innocentiam Domini agnoscerent. id quod etiam adeo non caruit effectu, ut potius plures palam & innocentiam Domini & poenitentiam opinionis contrariae perperam conceptae professi sint. Quae sane omnia etiam eam ob causam accidisse plane credimus, ut Deus testatum faceret, sibi iam plane satisfactum esse, nec permittere se diutius velle, ut vel suspicio criminis ac culpae alicuius de illo, in animis hominum haereret, qui culpa omni ac poena alienorum criminum, quam subierat, iam liberatus erat.

Progredimur vero ad reliqua, ostensuri adhuc 4) ut supra indicauimus, quae ex hac absolutione Christi appellatio singularis in sacris usitata & admodum frequens maxime repetenda sit. Niti vero illa re inprimis arbitramur appellationem *iusti*. Dicit enim solet Dominus

B

haud



bat archifacerdotem, qui per se ac natura sua esset sanctus, impollutus, a peccatoribus segregatus ipsoque caelo excelsior; cui proinde non, vt Leuiticis sacerdotibus, qui veram & expressam conciliationis effigiem non habebant, sed vmbri tantum & imaginibus utebantur, opus esset, primo pro suis deinde pro populi peccatis sacrificare. huic etiam sanctitati ac puritati sollicitè verborum etiam insigni adhibita religione, cauet vox Dei, ne vlllo modo in suspensionem adduceretur. pluribus id ad probandum facile esset, erimus vero vnico exemplo contenti. nunquam scilicet in sacris Christus *peccator*, *maleficus*, *iniustus*, *malus* vel alio simili nomine *concreto* (vt artis vocabulo in scholis loqui solent) vitiosam aliquam qualitatem significantem adpellatur; licet *peccatum* & inter maleficos numeratus dicatur. id quod sine dubio nullo alio consilio factum est, quam vt hac verborum etiam religione ac sollicito delectu sanctitati ac puritati Domini internae ac naturali caueretur, omni crimine ac peccato proprio plane ab illo remoto. non fugit quidem nos, in populari sermone, imo apud theologos etiam accuratiori verborum delectu in rebus diuinis explicandis vtentes, id non plane insolens esse, Christum *peccatorem* imo *summum peccatorem* dici: quae adpellationes ita etiam declarantur, vt in rebus ipsis significatis nihil plane vitii insit, contra vero cuncta recte se habeant sibi bene constent. ab orationis sacrae consuetudine tamen haec loquendi ratio abest, quam qui etiam hac in re pressius sequi volent, in iustam saltem reprehensionem merito non incurrunt.

Alterum quod in Christo spectandum est iustitiae genus, est iustitia illius forensis siue iudicialis, de qua supra iam disputauimus. placet vero ad rem hanc eo melius illustrandam duo adhuc de illa monere. primum ex ipsa rei natura consequens in eo ponitur, quod Dominus eam non semper habuit, nec habere potuit, quoad tulit peccata mundi, omni enim illo tempore iudicio diuino adhuc constrictus tenebatur, iustificatio vero illius in liberatione ab illo ponitur. hanc ergo iustitiam per iustificationem eum demum consecutum esse necesse est. Deinde adparet etiam ex dictis, iustitiam quam dicimus Christi iudicalem, quam iustificatione sua consecutus est, quaeque etiam ad vere credentes per fidem transfertur, a satisfactione ipsa Christi, si rem accuratius excutiamus, distinguendam esse; licet inusitatum non sit, vt satisfactio & iustitia Christi vnā eandemque rem plane significare putentur. differunt vero, si rem nobis distinctius proponere velimus, vt fundamentum & id quod fundamento illi innititur; vt principium & fons atque illud, quod ex illo fonte profici-




cilicetur. Satisfactio scilicet est ipsa solutio ac praestatio illius, quod Deo nostro loco debebatur ac persoluumdum erat; iustitia vero Christi est status ille puritatis atque innocentiae iudicialis, quem sibi Christus per satisfactionem parauit, quique ipsi per absolutionem a Deo ut iure debitus adiudicatus est. ponitur ergo iustitia illa Christi, de qua cum maxime agimus, cum ex parte Dei tamquam iudicis, in iudicio de Christo, tamquam plane iam & iure omni poena ac culpa, propter praestitam satisfactionem aequalem, liberato; & ex parte ipsius Christi in vera libertate iudiciali ab omni reatu, illiusque agnitione, usu ac fructu. ex quo apparet, quod supra diximus, satisfactionem natura antecedere iustificationem & inde consequentem iustitiam Christi, & hanc illa tamquam firmo suo atque immoto fundamento niti. separari ergo haec duo nullo quidem modo possunt sed arctissimo vinculo iuncta sunt, distingui tamen possunt. Sicuti vero in ipso Christo mediatore consequentia inter se fuerunt & iuncta, ita etiam iuncta sunt & manent in translatione ad credentes. per fidem enim proxime apprehenditur ac transfertur ad hominem satisfactio a Christo praestita ac *λυτρον* pro ipso olim Deo persolutum; illa vero fides, non propter se, sed propter id quod apprehendit, *λυτρον* scilicet, statim imputatur, ut Paulus ait, ad iustitiam. qui ergo Christi satisfactionem per fidei apprehensionem ex Dei consilio ac voluntate suam facit atque ad se transfert, statim etiam iustitiam Christi mediatoriam ac iudicialem induit, ac proinde ipsius Christi iustitia in iudicio diuino iustus est ac censetur iustus.

Sed progredimur nunc ad *alteram* vniuersae disputationis nostrae partem, explicaturi scilicet, qua ratione illa de qua adhuc differuimus, Christi iustificatio per excitationem ex mortuis maxime demonstrata sit. Quam orationis nostrae partem ut distinctius explicemus, primo causas necessitatis demonstrationis illius, & quidem per excitationem ab inferis notabimus & exponemus; deinde res ipsas indicabimus, quae per excitationem illam certissime confirmatae sunt a Deo, & ex quibus ipsius factae iustificationis veritas luculentissime apparuit, omni vel minima dubitationis causa plane praecisa. Quod itaque ad causas necessitatis illius demonstrationis & quidem per excitationem ab inferis attinet, tres maxime in praesenti, quibus reliquae facile comprehendi possunt, breuiter tangemus. primam causam ipsam iustitiam Dei ponimus, accuratissime sicut in omni, ita imprimis etiam in vniuerso restitutionis humani generis grauissimo negotio partes suas agentem ac tuentem. iustitiae ergo opus in




in ea re fuerat primo, quod Christum tamquam mediatorem nostrum ad luendam totius humani generis culpam ac poenam mori oportuit. poena enim peccati per iustitiae diuinae leges mors est; iure itaque hanc poenam iudicio soluit sponsor noster, qui culpam vere in se conferri passus est. per mortem vero semel appetitam poena perfecte, propter infinitam personae morientis ac satisfaciendae dignitatem ac praestantiam persoluta, iustitiae diuinae conueniens non erat, illum in morte relinquere velle, qui ipsa morte vere ac plene satisfecerat. permanens enim in mortis statu aut perpetua aut saltem diuturna ad solutionem debitae pro nobis poenae ipsam plane non pertinebat, quoniam ipsa mors tantae imo diuinae personae per se tantae omnino ac perfectae dignitatis erat, ut per illam aequalis plane satisfactio iustitiae diuinae vindici praestita fuerit. neutiquam itaque per iustitiam Dei, quae quidem cuncta quae debentur, at vero etiam non plura quam debentur, exigit, fieri poterat aut debebat, ut in morte maneret, ac proinde eo ipso adhuc lueret, qui ipsa morte per se iam perfecte ac plene satisfecerat. quod enim hominibus vilibus ac nudis, qui capitis poenas propter scelera dederunt, vita non refunditur, partim ex imbecillitate iudiciorum humanorum oritur, quorum in viribus illud positum non est, partim etiam ex eo, quoniam fontes simplici ac sola morte per se, iustitiam vindicem nondum plane placarunt, aut placasse censentur; ut proinde mansionem quoque in mortis statu accedere oporteat. at vero iudicis Dei ac sponsoris Christi longe alia, ut iam ostendimus ratio est; ille enim vitam reddere, hic vero morte semel appetita omnia quae debebat, perfecte soluere poterat. praestita itaque satisfactione plena per mortem ipsam, iustitiae diuinae sane non fuisset, sponso in morte nihilominus relinquere, ac proinde plura adhuc exigere velle. Sicuti ergo iustitiae diuinae opus ac demonstratio fuerat, Paulo docente Rom. III. quod Deus Christum tamquam piaculare sacrificium pro peccatis palam in sanguine suo ac miserandum in modum laceratum in cruce proposuit, ut appareret ingens peccati turpitudine, iustaeque detestatio, imo necessitas illud puniendi etiam in ipso filio; ita non minus poena a sponsore perlata opus iustitiae erat, sponso primo in ipso iudicio omni poena liberare, idque etiam omni modo demonstrare, nihilque reliqui facere, quod ad eam rem pertineret. Christus totus se pro nobis tradiderat morti, totum ergo etiam absolui, totum quoque absolutione illa frui oportebat; at vero corpore frui illa non poterat, nisi hoc in vitam restituto. altera necessitatis demonstrandae per resurrectionem iustificationis Christi causa rectissime ponitur in pacto Patris cum



Christo, iustitia aequae ac bonitate nixo. Promissum illud fuerat Christo, cum in morte non relictum iri sponte pro peccatis mundi oppetenda: promissa vero exactissime seruare, ad fidem veracitatemque Dei pertinet. Vnico vero testimonio rem confirmasse contenti erimus, illustri scilicet Iesaeae effato c. LIII. *Domino placuit, iniquientis, eum contere, dolore adfecit. si posuerit anima ipsius pro culpa sacrificium, videbit semen, producet dies, & Deo placita per manum eius prospere succedent.* Per vitae itaque restitutionem fructum capere debebat ex promisso Dei expromissor noster, praestitis omnibus quae in se praestanda susceperat. accedit denique tertia causa necessitatis demonstrandae per excitationem iustificationis Christi in eo ponenda, quod veritas ac certa fides nostrae iustificationis per Christum in iudicio diuino, ipsius Christi iustificatione, demonstrationeque illius per resurrectionem nititur, ita ut iustificatione Christi sublata ac negata, nostra etiam per illum tollatur ac negetur. tollitur vero ac negatur Christi iustificatio, si resurrectio illius negatur, ut Paulus grauer ac copiose docet I Cor. XV.; necesse ergo erat Christi absolutionem iudicalem per resurrectionem ex mortuis plane confirmari, atque extra omnem dubitationem poni, quo & veritas nostrae iustificationis per illum, & certa illius rei fides, in animo ad perfectam tranquillitatem illius efficiendam plane constaret. quae cuncta cum sibi Deus proposita habuerit, ut scilicet Christi bona ad nos per fidem re vera transferrentur, necesse plane erat, eum ab inferis excitari. id quod Paulus etiam diserte adfirmat Rom. VIII. scribens, *Christus propter peccata nostra traditus est, & propter iustificationem nostram,* (ut scilicet illa re ipsa contingere, nobisque etiam certo constare posset) *resuscitatus est.*

Sed pergimus nunc ad alterum secundae partis orationis nostrae momentum, breuiter etiam exposituri res ipsas, quae per excitationem ab inferis, certissime a Deo confirmatae sunt, & ex quibus simul de facta iustificatione certo constabat. primo itaque per excitationem a mortuis Deus euidentissime cum ipsi Christo tum vniuerso generi humano probauit, sibi plene atque ex asse satisfactum esse, ac proinde nihil plane restare, quod plenam absolutionem morari potuisset aut debuisset; imo probauit etiam, quantum illa satisfactio & Christi & nostra causa delectetur. deinde per excitationem ab inferis confirmata etiam est, perfecta veritas totius testimonii Christi, de se ipso, de Deo, de homine, totiusque consilii diuini de restitutione humani generis iniri. Christus enim ipse saepius veritatem testimonii sui a Deo per resurrectionem a mortuis, ac proinde per opus plane diuinum confirmatum iri dixerat. cum itaque Deus praedicta effecerit,

eo



eo ipso luculentissime demonstravit, Christum non locutum esse ex se, sed ex Patre audita nobis tradidisse. hinc Paulus capitale illud dogma, quod quasi familiam ducit, Iesum scilicet esse filium Dei proprium, ac proinde summum atque aeternum Deum, per resurrectionem ex mortuis, evidentissime demonstratum esse adfirmat Rom. I. eadem vero ratio est totius testimonii Christi.

Restat iam *tertia* orationis nostrae pars breuiter adhuc tangenda, in eo posita, ut doceamus, qua ratione iustificatio Christi ipsa illiusque per resurrectionem evidentissima demonstratio ad nos pertineat. quae res in duobus maxime ponitur: primo scilicet Christi absolutione continetur ac demonstrata est, absolutio quaedam vniuersalis, totius humani generis, cuius culpam & poenam Christus in iudicio diuino vere subierat. absoluto itaque Christo, totum genus humanum certo modo absolutum est. id quod primo ex sacris litteris probabimus, deinde veram illius rei rationem explicabimus. Quod itaque ad primum attinet, Paulus Rom. V. 12 sqq. id luculentissime docet, iustificationem vitae per Christum, alterum generis humani caput, manifeste in omnes dilatans, ad quos culpa & poena per primum illius parentem dilatata est. cum vero haec ad omnes omnino mortales pertineat, illam quoque ad omnes pertinere necesse est. nihil ergo restat, quam ut veram illius rei rationem explicemus. scilicet culpa ac poena totius humani generis Christus ipse, propter praestitam satisfactionem, plane liberatus eoque effectum est, ut omnes omnino mortales per & propter illam satisfactionem ex sua quisque parte iam pariter liberari possint, si modo quod in Christo pro ipsis dudum & quasi paratum fuit, fide ad se transferre velint; quod si facere detrectant, culpa ac poena constricti manent, non quia facultas liberationis, sed voluntas, paratam, destinatam & oblatam recipiendi, illis defuit. ex quo alterum simul, quod dicere instituimus iam per se adparet, in eo scilicet positum, ut Christi absolutio, credentium per fidem ita propria fiat, ut ipsius Christi iustitia liberi, puri innocentes & tales censeantur, in quibus nec culpa nec poena haereat, imo qui legem etiam perfecte impleuerint, quoniam perfecta Christi obedientia, & patiundo & faciendo Patri praestita, re vera per fidem in rationes illorum refertur. & hanc iustificationem illorum per Christum eodem etiam modo & ipsis & aliis demonstrari oportet ut ipsi Christo, cum in hac vita per Spiritum illius inhabitantem & operantem, tum in futura per statum beatum animae solutae, ac per resurrectionem ac glorificationem.

tio.



tionem. hinc cum Christo frequenter non solum mortui, sed etiam vita donati, resuscitati ac glorificati dicuntur; quoniam re vera haec omnia in Christo iam habent ac possident per fidem, licet ad plenum illorum usum & sensum per certos gradus ac temporum interualla, idque pariter ad Christi similitudinem perueniant.

Haec ergo sunt, *Ciues optimi*, quae vobis per hos dies festos meditanda proponere atque etiam atque etiam commendare voluimus. Intelligere ex iis potestis, quantum Optimo Seruatori debeatis, tanto ipsius beneficio obstricti. Debetis scilicet illi vos ipsos totos, quoniam vos sanguine suo redemit, libertatemque ab omni malo, contra vero iura summorum aeternorumque bonorum, imo ius ipsius Dei tamquam summi Boni communionisque illius vobis peperit. Audiuitis quomodo ipsius Christi iustificatio ad vos pertineat, quantum itaque dedecus, quanta iactura, si iniusti, ac peccato & irae diuinae obnoxii manere velletis. Dolendum sane est, non minimam partem vestrum adhuc admodum a Christi fide & amore, ac proinde a vera ac diuina sapientia alienam fuisse. Sed tempus iam est, omnes aliquando ex securitatis somno excitari, cum Deus non solum voce sua, sed etiam poenis & malis innumeris excitet, ac re ipsa ostendat, quam grauius contemptum gratiae & euangelii ferat. Omnes quidem omnium ordinum causas satis graues de se in tantis malis ac periculis cogitandi, culpam suam agnoscendi, seque deprimendi coram Deo habent; at certe litterati atque eruditi omnium maxime. Cum enim illorum esset ac fuisset semper, alios exemplo suo docere, atque ad verum timorem Dei, tamquam principium verae sapientiae, agnitionemque ac fidem Christi impellere, longe secus plerumque accidit, ut scilicet contemptus Christi veritatisque in illo ab iis ad alios manet. Ne ergo animum obstinemus, vocem Dei audientes, vlticisque irae formidanda ac funesta opera cernentes imo etiam sentientes. Ne frustra gloriemur nos vere sapere, quoad non resipiscimus. Ne somniemus nos vere sanos esse, quoad mente tota ac conscientia, sanguine Christi per fidem nos sanari non patimur. Faxit Deus immortalis, ut haec per hos dies festos recte omnes expendant idque agant, ut per Christum cum Deo vere in gratiam redeant, quo & ipsi illius rei dulcissimos fructus percipiant, & etiam aliis in posterum ferant. P. P. in Fridericiana Prid. Paschae. MDCCCLVIII.



1812. 4.

1818

